

*Kyrie eleison* audivit, ultro surrexit, et progressus adspectandum, illud Domini edixit: *Misereor super turbam*; pacemque civibus ea lege dedit, ut eam murorum partem, quæ motibus illius bellicis erat objecta, demolirentur, quos et pacis acceptis conditionibus, salvos voluit, et murum dejectum resarcire imperavit. Jam igitur si aspectus innocentium in forma supplicationis potuit expugnare cor irati imperatoris et pacem urbi toti adeoque hostibus impetrare, non temere speramus, idem quoque a Deo nobis impetrari posse.

VI. Adhibetur aliqua mortificatio. Primo, pedibus omnes incedunt, et detecto capite ad exemplum Davidis, qui exulans a regia sua fugit ab Absalone, flens, nudis pedibus incedens, operto capite, II. Reg. XV. operuit ipse caput in signum luctus: nos caput discooperimus in signum humilitatis et reverentiæ. Significamus autem hoc ritu. Primo, oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum cælorum, juxta id Psal. CXXV. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Ut enim Hebræi (de quibus hic sermo) cum labore et fastidio quidem reversi sunt ex Babylone in patriam, ea tamen possessa gaudio impleti sunt: ita speramus nos post laboriosum vitæ hujus iter ad cælestem ingredi patriam. Secundo, dicere omnimodo ut Christum ducem nostrum cruce oneratum exeuntem ad mortem pedibus subsequamur, quo modo etiam Davidem exultantem pedestres secuti sunt ejus aulici. Hinc summa quæque capita non erubuerunt processiones pedibus comitari, uti S. Ludovicus Gallie rex, qui nedum in terra, sed etiam in mari cum tempestat ingruerat, supplicationes pedibus instituebat. S. Pulcheria Augusta et ipsa pedes frequentabat supplicationes, teste Cedreno. Ejus quoque maritus Marcianus imp. vir summa religione præditus, in publica supplicatione aliis præire consuevit, teste Nicephoro, I. XV. cap. XV. Thomas Morus prius quam esset Angliæ cancellarius, crucem in processionibus publicis sacerdoti præferrebat. Factus cancellarius non potuit adduci, ut in prolixioribus processionibus, quæ fiunt his rogationum diebus, equum ascenderet. Dicebat enim: *Nolo Dominum meum (crucifixi imaginem) peditem eques sequi*, Stapletonus, in ejus vita, cap. VI. Conformiter Concilio Moguntino quod hoc præcipit can. XXXIV. *Non equitando, etc.*

Secundo, habitu vulgari, non pretioso, sed lugubri potius et vili, quod etiam præcipit Concilium Mogunt. loco cit. *Nec pretiosis induti vestibus, etc.* Ratio eadem quæ superior; etenim primo, ad Deum velut penitentes mendicimus, gratiam ejus imploraturi; non convenit autem mendicis et penitentibus habitus pretiosus. Sci-

mus enim Deum præcepisse Hebræis post adratum vitulum penitentibus: *Jam nunc deponere ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi*, Exod. XXXIII. q. d. deponere arma, quibus me offendisti, fastum et superbiam tuam: tunc forte propitiabor tibi. Hoc advertens Theodosius senior imp. pugnaturus cum Eugenio tyranno, in summo rei periculo, cum supplicatione obiit orationum loca una cum sacerdotibus et populo, et ante martyrum thecas prostratus jacuit cilicio indutus, auxilium efflagitans, uti narrat Ruffinus, I. II. c. XXXIII. Similiter Theodosius junior in processione, de qua supra, privato habitu processit indutus et discalceatis pedibus, apud Nicephorum, lib. XIV. c. LVI. Quibus accedit, quod S. Antoninus, III. p. hist. t. XXII. III. §. XXXII. scribit processionem suo tempore institutam cum jejuniis in pane et aqua, habitu quasi religiosorum in cappis albis lineis, caput velantibus (relictis tantum ad oculos foraminibus) ad talos usque protensis. Rursum quod S. Gregorius Turon. I. III. hist. c. XXIX. mulieres amictus nigris palliis dissoluta cæsarie ac supposito cinere, alias cum cilicio et jejuniis, per supplicationis ritum impetrasse liberationem civitatis Cæsaraugustanæ a Childeberto et Clotario obsessæ.

Quæ omnia satis, opinor, superque ostendunt neque novas neque irrationabiles esse supplicationes, quas peragit Ecclesia. Superest ut nos hæc, quæ externo ritu agimus, animi quoque sensu devote peragamus, et majorum nostrorum pietatem pie æmulemur.

### CONCIO XI.

#### ORATIO DOMINICA REMEDIUM CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

- I. *Contra superbiam*: Sanctificetur nomen tuum. —
- II. *Contra avaritiam*: Adveniat regnum tuum. —
- III. *Contra iram*: Fiat voluntas tua. —
- IV. *Contra gulam*: Panem nostrum quotidianum, etc. —
- V. *Contra invidiam*: Et dimitte nobis debita nostra. —
- VI. *Contra luxuriam*: Et ne nos inducas, etc. —
- VII. *Contra acediam*: Sed libera nos a malo.

#### THEMA.

*Sic ergo vos orabitur: Pater noster qui es in cælis. Math. VI.*

Narrat in Apocalypsi Joann. cap. XIII. se vidisse bestiam septicipitem de mari ascendentem: quam admirata est universa terra, et adoraverunt dicentes: *Quis similis bestię, et quis poterit pugnare cum ea?* Si non ista, saltem non absimilis bestia est peccatum, quod de mari hujus mundi ascendens, et septem criminibus capitalibus horridè pene universam post se trahit terram ad sui admirationem. Sed (ut totus mundus abeat

bestiam illam) absit a nobis ut se ipsum aut veneremur eam; quin potius pugnemus contra eam, quia ad barathrum *Abissi et gehenna*. Sed *quis similis bestię, dicunt peccatores, et cum sequentes, et quis poterit pugnare cum illa?* Unde nobis gladius tam acutus ad præcidenda bestię capita? Subministrat eum nobis Christus in oratione quam nos docuit, in qua totidem petitionibus, quot capita sunt bestię, totidem impetuntur et resecantur crimina capitalia. Et quidem gladium istum fecit ipsemet artium omnium magister, ut merito existimare possimus præfiguratum fuisse per illum quod David abscedit caput Goliathi, quemque postea ab Achimelech sacerdote petiit, dicens: *Non est huic alter similis, da mihi eum*, I. Reg. XXI. Ad eundem enim modum petierunt a Christo discipuli gladium spiritualem: *Domine, doce nos orare?* et Dominus: *Sic ergo orabitur: Pater noster, etc.* Videamus igitur num hoc gladio possimus resecare septem illa capita.

Capulum hujus ensis est initium orationis: *Pater noster, qui es in cælis*. Ut enim capulo retinetur ensis, ita fiducia nititur hæc oratio. Dicimus enim: *Pater noster, ergo vult. Dicimus: Qui es in cælis, ergo potest nos audire.*

I. Bestię caput est superbia, quæ vicit et deiecit supremum angelum cum sociis et deiecit in infernum, Pharaonem, Sennacherib, Nabuchodonosor, etc. Dicunt isti: Sanctificetur nomen nostrum, et quod ædificatores turris Babylonice: *Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat usque ad cælum, et celebremus nomen nostrum*, Gen. XI. Qui tamen ad extremum turpiter confusi et decepti sunt. Quid igitur huic vitio opponamus? *Sanctificetur nomen tuum*. Quæ verba nil aliud sonare videntur, quam quod illa Davidis: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Etenim Deus omnia quæ habemus bona, nobis dedit, omniaque in nobis bona operatur tamquam causa primaria, nos vero tamquam secundaria tantum; quia ipse non solum vires naturales, sed etiam supernaturales, ipse instrumenta agendi, gratiam et virtutes dat, ipse ad agendum movet, ipse simul nobiscum operatur et manum nobis ducit: et quomodo non ipsi debeatur omnis honor? Quomodo sine furti crimine nobis eum tribuere honorem possumus, qui soli debetur Deo? Dic enim mihi, sodes: Si magister pueri calamum, chartam, atramentum det puero, si scribere eum doceat et in ipsa scriptione manum illi deuat ut litteras elegantes exaret, cujus tu nomen celebrandum et huic scriptioni apponendum putas? Nonne magistri? Vel si quis insignis pictor speciosam pingat imaginem, num quia ad pictura penicillo usus est, abscribendum imagini putas? Num penicillum hanc

pinxit imaginem? Non sane, sed pictori abscribitur opus. Pari etiam ratione, si qua excellas re, dignitate, scientia, forma, genere, fortunæ bonis, virtute: si quid virtuosus, si quid strenuus designes, puer es, penicillum et instrumentum es, Deus vero auctor. Injuriam igitur Deo facit et furtum quoddam committit, qui talia bona sibi adscribit et per ea suum celebrare conatur nomen. Ut enim ille Putiphar omnia sua credidit Josepho præterquam uxorem, Gen. XXXIX. ita et Deus tradidit quidem nobis bona sua, ea tamen lege ut ne ea nobis adscriberemus, sed gloriam eorum Deo intactam relinqueremus et diceremus in omnibus bonis nostris: *Sanctificetur nomen tuum*. Ipse enim dixit Isa. LXII. *Gloriam meam alteri non dabo*. Hoc sane agnovit ethnicus ille Python Atheniensis, qui, quod Cotyn regem interfecisset, ob res feliciter gestas prædicatus dixit: *Diis habenda est gratia, quibus auctoribus hoc factum est. Nam ipse nihil aliud quam manum et operam meam commodavi*, Plut. in præcept. polit. Cautissimus in eadem re fuit Carolus V. imp. qui debellatis in Germania Protestantibus non dixit cum Julio Cæsare post devictum primo accessu Pharnacem: *Veni, vidi, vici*; sed: *Veni, vidi, et vicit Dominus*. Jacet igitur hic resectum primum caput.

II. Caput est avaritia. Perdidit hæc Judam et de apostolatus culmine dejectum ad laqueum ac denique in gehennam præcipitavit; hæc divitem epulonem in inferno sepelivit; hæc Ananiam et Sapphiram repentina nece extinxit, et alios innumeratos. Dicunt isti omnes: Adveniat nobis regnum mundi; et si penes ipsos esset, eligerent potius hujus mundi opes, quemadmodum et filii Ruben et Gad, quibus erat in jumentis infinita substantia, habitare cis Jordanem elegerunt potius quam transire ad terram promissionis dicentes: *Nec quicquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga*, Num. XXXII. Quid igitur huic vitio opponamus? *Adveniat regnum tuum*; quod idem est ac dicere cum Davide, Psal. LXXII. *Quid mihi est in cælo? Et a te quid volui super terram?* q. d. nihil creatum invenio, quod me satiet. Et rationem subdit: *Defecit caro mea et cor meum*, q. d. ubicumque seu in quacumque re creata ponam cor et carnem meam, scio quia putrescet et deficiet. Idcirco: *Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum*, ait; quia scilicet ipse solus est thesaurus et hæreditas mea, in qua sola semper acquiescam. Stulte igitur agunt, qui regnum mundi eligunt ejusque divitias, dimisso vel non desiderato regno Dei, quemadmodum dives ille, qui hæc quærebat et statuebat sibi consolationem suam. Audivit enim a Deo: *Stulte, hac nocte reptunt*

a te animam tuam, et quæ parasti ejus erunt? Luc. XII. Quia enim scimus regnum et opes hujus mundi necessario et brevi perituras, ac licet retineri semper possent, plenas tamen esse curarum et miserarum, quanta insania est regnum cælorum cum illis commutare velle! Quid enim prodest homini, si universum mundum tuetur, animæ vero suæ detrimentum patiat? Eme tuc thesauro, tuis opibus dives vel unam in cælo stellam, vel unicam cœlestis roris guttam, si potes. Certe epulo ille cum omnibus suis opibus nec unam sibi in inferno emere aquæ guttam potuit. Compara cum cælo terram, quam exigua est? Si enim terræ globus inter stellas firmamenti poneretur et a Deo illustraretur, a nobis vix hic videretur. Deinde: *Heu quam sordet tellus, cum cælum aspicio!* dicebat S. Ignatius Loyola, quando noctu cælum intuebatur; propterea Moyses: *Grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis*, ut apostolus ad Heb. XI. *maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improprium Christi*. Scribit de Moyse infante, cum adhuc tamquam filius filiæ Pharaonis educaretur in aula Pharaonis, Josephus, l. II. c. V. de antiqui. Moysen, cum ei Pharaon imposuisset diadema suum, de capite detraxisse in terram et pedibus conculcasse. Ita S. Franciscus quod multa pauperibus largiretur accusatus a patre et bonis parternis cedere jussus, etiam rejectis vestibus patri concessit omnia, dicens, se in posterum habere majorem facultatem dicendi: *Pater noster, qui es in cælis*. In brev.

III. Ira, quæ perdidit Cainum, Amanem, Antiochum et alios. Dicunt vero irati omnes: *Fiat voluntas mea, dum ulcisci injurias suas volunt contra Dei voluntatem, qui vindictam sibi reservavit; similes Israelitis, qui Moyse prohibente ne ascenderent ad hostes oppugnandos in montem, nihilominus contenebrati ascenderunt et ideo cæsi ad hostibus sunt*, Num. XIV. Dominus dicit: *Mihi vindictam et ego retribuam*, iracundi contra dicunt: *Ego retribuam*. Quomodo reseandum est hoc caput? Verbis illis: *Fiat voluntas tua*: quibus dicere vult Christus: *Interroga prius Dei voluntatem et ille dicet: Mihi vindictam; et forte depones iram*. Discite hoc vel a canibus. Quando enim canis aliquis cum ferocia invadere aliquem conatur, si vel unico verbo ad hero increpetur, statim demittit jubam et rabiem deponit. Quin etiam verbo sævientis et fluctus mittenti in navim, Christus dixit: *Tace, obmutesce: et cessavit ventus et facta est tranquillitas magna*, Marc. IV. Dicit etiam tibi, iracunde, cum ultionem cogitas: *Acquiesce tace, obmutesce, quia mea est ultio*. Igitur *erubescet Sidon, ait mare* (Isa. XXIII.) quando irrationalia voluntatem Dei sequuntur, et heri,

tu contra sceptrum Deo eripis et tu ipsius esse vis judex. Athenodorus philosophus discessurus ab Augusto Cæsare, ut refert Plut. in apophtheg. hoc illi documentum dedit: *Cum te, o Cæsar, ira ceperit, nihil prius neque dixeris neque feceris, quam ipsas viginti quatuor elementarias litteras tecum ipse percurrens*. Sic enim mitigandum interim putabat Cæsaris animum. Sed ni fallor, efficacius est remedium cohibendæ iræ, dicere Deo antequam irascaris: *Fiat voluntas tua; vel integram prius recitare orationem Dominicam*. Cum enim advertis voluntatem Dei tibi adversari et vindictam sibi reservare, mirum erit si tu illi contraire volueris. Hoc monito usi sunt discipuli Christi ante portam Samariæ, cum non admitterentur: *Domine, vis dicimus, descendat ignis de cælo et consumat illos?* Sed audierunt de magistro: *Nescitis cujus spiritus estis?* Luc. IX. Similiter et Petrus, qui percussurus in horto militis, prius interrogavit: *Domine, si percutimus in gladio?* Sed et ipse audiit: *Sinite*, Luc. XXII. Hoc igitur et nos faciamus, interrogemus os Domini prius quam ulciscamur et caput hoc resecaimus.

IV. Gula, quæ perdidit primos nostros parentes, Esau, Holofernem, epulonem et innumeros similes, qui omnes cum gulosis Israelitis dicunt: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis*. In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones. Num. XI. Contra hanc oramus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Quibus verbis non prohibet nobis Dominus cibos alios, sed docet sobrietatem et temperantiam observandam modicæ sustentatione contentos esse; quid enim panis quotidianus, nisi cibi minime exquisiti? Jam si non plus quam ejusmodi sustentationem petimus, quo jure tam immoderate, tam oppare vivimus? Si quid ultra necessariam sustentationem mittat Deus, tanto parcius sumere debemus: *Initium enim vitæ hominis aqua et panis*, inquit Ecclesiasticus, cap. XXIX. Et certe innumeri adhuc reperiuntur, qui vel pro pane et aqua sudare et algere debent, et sæpe nec ea quidem habere possunt. Et quid illi commiserunt, putas? Annon et ipsi Dei creaturæ, et tui similes sunt? Et quid si nobis etiam panis subtraheretur? Legimus certe IV. Reg. VI. tantam aliquando in Samaria fuisse famem, ut caput asini venderetur octoginta argenteis. Quid si id et nobis contingat? Exosculare igitur et gratis manibus accipe vel solum panem, et vide ne per intemperantiam tuam et istud destituaris. Unde enim venit, quod panem forte humi jacentem tollimus et exosculamur, ac piaculum putamus micam ejus perdere vel pe-

dibus premere, nisi quia Dei donum est omni acceptione dignum?

V. Invidia, quæ perdidit Saulem invidum Davidi; sororem Moysis lepra infecit; Cainum profugum fecit. Hanc resecat petitio quinta: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, siquidem hic verbis alligat nobis Christus proximum nostrum, ut eandem sortem cum illo experiri debeamus quam illi optamus sicuti pedica alligantur bini equi ad paseua, quia precamur ut Deus ita se nobiscum gerat, sicut nos gerimus erga proximum. Quis igitur proximo malum velle potest, nisi sibi ipsi velit? Quis bonum invidere, nisi sibi ipsi invidet? Quis enim pontem dejiciat propterea ne alius eum transire possit, si sciat sibi per eundem esse transeundum? Nonne merito sultitiam suam, accusaret, si non tantum alteri, sed etiam sibi pontem dejecisset? Audi Augustinum, lib. L. homiliar. hom. de diligendis inimicis: « An forte vis, inquit, ut Deus usque ad te patiens sit, quousque tu pervenias ad justitiam, quia Deus extendit pontem misericordiæ suæ ut tu transire possis? Hoc vis ut jam subducatur, ne alius transeat? » Hæc ille. Non sane hoc facit Deus, sed ipse a longe aspiciet et observat, quid tu proximo tuo cupias, et postmodum gerit se tecum similiter. Dejicis tu proximo tuo pontem? Non reparabit illum tibi Deus. Sinit transire illum? Transibis etiam tu. Nonne hoc expresse vidimus accidisse servo illi nequam, Matth. XVIII. qui quoniam prior conservum suum tenuit et in carcerem misit, postmodum revocatus ab hero in carcerem et ipse missus est? Unde super hoc Chrys. hom. LXII. in Matth. ait: *Quid facis homo? Non sentis adversus teipsum mucronem adigere sententiam ac minus Domini revocare?* Igitur si dimitti vis, dimitte: si magna a Deo gratias obtinere, impertire vel saltem non invidere easdem proximo tuo.

VI. Luxuria, quæ perdidit Sodomam, Sichem, Amnon, etc. Et isti dicunt Sap. II. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*. Sed tandem deplorant suum errorem dicentes: *Ergo erravimus a via veritatis*, Sap. V. Quid huic igitur opponamus? *Et ne nos inducas in tentationem*. Quia enim tentationes incontinentiæ passim obviæ et fortissimæ sunt, et nihil proclivius quam in hujusmodi laqueos incidere, ideo nullius vitii occasiones adeo fugiendæ sunt, atque istius. Quivis enim mortalium circumfert secum stupam et fomitem incontinentiæ; objecta vero instar ignis sunt, et ideo nil securius quam fuga occasionum, ne intres in tentationem. Quæso te si vestis tua pice et resina imbuta foret, nonne omnibus modis ignem fugeres, ne ex ejus vici-

nitatis vestis inflammaretur et tu perires? Corpora hominum pice concupiscentiæ imbuta sunt et ad carnis ardorem disposita. Fuge igitur, ni ardere velis. Accipe exemplum de Carolo primo Navarræ rege, qui in juventute per libidinem ita nativum exhausto calore, ut annos natus 54. caleferi nullo modo posset. Unde medicorum suavis involutus panno est aqua bene tincto, quam vitam vocant. Contingit autem (vereor ne in tantæ pœnam intemperantiæ, inquit Chavassius, de vera perfecta que prudentia, l. III. c. IV.) ut dum famulus qui illum conserat, non habens cultrum ad secandum filum, uteretur accenso cereo: statim vero aqua vita flammam undique concepit, quæ miserum regem confecit. Nimirum sicuti peccaverat hic rex, ita punitus est. In juventute enim dum incontinentiæ ardorem circumferebat, et igni libidinis appropinquabat, in vitia ruit: propterea per ignem etiam punitus est. Orandum igitur sedulo: *Et ne nos inducas in tentationem*. Sed et nos intrare non debemus sive occasiones tales quærere: nisi simili exitu perire velimus. Non pudeat nos tam laudabilem et salutarem arripere fugam: sicut nec puderet fugere domum pestilentia aut lue gallica infectam.

VII. Acedia, quæ multos retinet in captivitate dæmonis, sicut et Israelitas illos plerosque qui de captivitate Babylonica redire in patriam suam, Palæstinam tardabant. Et quod huic vitio remedium? Orare diligenter Deum: *Libera nos a malo*. Per malum enim acediam intelligere possumus, quia ipsa malorum multorum est mater. *Multam malitiam docuit otiositas*, inquit Ecclesiasticus, c. XXXIII. Ea vero ligat hominem quasi catena quædam ne recta operetur, adeoque in captivitate et carcere detinet; utique ad mortem, nisi se extricet. Unde S. Bonaventura, ser. VI. de adventu ait: *Tristitiam et acediam binas esse diaboli catenas, illa animum ligari, hac corpus*. Atqui piger nulla fere admittit morbi sui remedia, quia catena pigritiæ vinctus est; oret igitur et clamet: *Libera nos ab hoc malo*, dissolve, Domine, catenas istas.

Itaque sic jam oremus: *Pater noster qui es in cælis, aufer a nobis superbiam, inanem gloriam et jactantiam, et fac ut in omnibus operibus nostris sanctificetur nomen tuum*. Aufer a nobis cupiditatem terrenorum et caducorum bonorum necnon amorem hujus mundi, et pro eo nobis advenit regnum tuum. Aufer a nobis omnem iram et rancorem, necnon vindictæ appetitum, et fac ut in omnibus non nostra, sed fiat voluntas tua. Aufer a nobis gulam et intemperantiam, et pro superfluitate saltem panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Aufer a nobis invidiam, da charitatem in proximum, et dimitte nobis debita nostra,

sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Aufer a nobis omnem incontinentiam, et ut vitare eam possimus, ne nos inducas in tentationem. Aufer denique, a nobis omnem acediam et tedium bonorum operum, et libera nos a malo. Amen.

## CONCIO XII.

## ORATIONIS DOMINICÆ EXPOSITIO.

I. Præfatio orationis. — II. Pater noster qui es in cælis. — III. Sanctificetur nomen tuum. — IV. Adveniat regnum tuum. — V. Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra. — VI. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. — VII. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. — VIII. Et ne nos inducas in tentationem. — IX. Sed libera nos a malo, Amen.

## THEMA.

*Petite et accipietis.* Luc. XI.

Prudentissima illa Rebecca, ut charissimo sibi filio Jacob impetraret benedictionem patris, non solum induit eum vestibus Esau fratris sui odoriferis, verum etiam coxit escam selectissimam, quam offerret patri, gratissimam et ad gustum ejus factam, Gen. XXVII. Ita Salvator noster a cælestis Patris benedictionem nobis impetraret, non solum induit nos vestibus suis odoriferis, cum in nomine suo petere jussit, verum etiam coxit nobis gratissimam Deo escam, dum edocuit orationem perfectissimam, quam offerimus Deo. Præstat enim oratio Dominica omnibus aliis quibuscumque orationibus. Primo, auctoritate; quia Christus eam composuit. Unde S. Cyprianus, lib. de orat. Dom. ait: *Agnoscat Pater Filii sui verba, cum precem facimus.* Secundo, brevitate; quasi sit sermo ille, Isa. X. *Sermonem brevium faciet Dominus in toto orbe terræ.* Ejus brevitate causas tradit Alexander de Alens. p. IV. q. XXXVII. *Facilius scitur, melius retinetur, frequentius iteratur, minus fastidit orantem, cito exaudiri innuit, plus affectu quam ore orandum esse insinuat, ignorantem excusat.* » Petrus Chrysologus, ser. LXVII. ait: *Christus breviter orare docuit, quia cito vult postulata præstare.* » Tertio, perfectione. Complectitur enim omnes species orationis, teste Augustino, ser. XXII. ad frat. in eremo. Imo: *« Nedium venerationem Dei aut hominis petitionem, ait Tertullianus, lib. de orat. c. 1. ad fin. complexa est, sed omnem sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut revera in ea oratione brevium totius evangelii comprehendatur. »*

Quarto, utilitate. *« Cum habeamus, inquit Cypr. ubi sup. apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris*

petimus, advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat, quia quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? » S. Aug. lib. L. hom. XLII. ait: *« Spem habemus obtinendæ causæ nostræ, quando talis jurisperitus nobis preces dictavit, qui sedet ad dexteram Patris. Ipse est advocatus noster, qui venturus est iudex noster. »* Sane delet hæc oratio peccata venialia, teste Conc. Tol. IV. c. IX. S. Aug. enchirid. ad Lauren. c. VII.

Quinto, necessitate. Eam enim Christiani omnes scire debent et frequenter dicere. S. Clemens, lib. VII. const. apost. c. XXV. monet Christianos eam ter in die dicere. S. Aug. ser. in dom. X. de christ. tom. X. ait: *« Symbolum vel orationem Dominicam et ipsi tenete, et filiis vestris ostendite. Nam nescio qua fronte christianum se dicat, qui paucos versus in symbolo vel oratione Dominica parare dissimulat. »* Hæc ille. Nunc ad expositionem.

I. *Pater noster, quis es in cælis.* Hæc verba præfationem continent. Monent enim nos primum adoptionis divinæ, dum dicimus: *Pater noster*, et peregrinationis terrenæ, *qui es in cælis*; ut simul nos intelligamus egere auxilio, quia peregrini; et fiduciam concipiamus petendi, quia filii. Sic Bern. serm. de natali B. Mariæ, qui dicitur de aquæductu.

Deinde, hæc eadem sunt quasi proœmium captans benevolentiam, ex Aug. lib. II. serm. Dom. in monte, c. XVIII. nam cum dicimus: *Pater noster*, laudamus Dei bonitatem, qui pater dignatur a vilissimis mancipiis appellari; cum addimus: *Qui es in cælis*, laudamus ejus potentiam, et excellentiam: quæ duo exprimuntur illis vocibus: *Optimus maximus.*

Tertio, excitant hæc in orante amorem, dum dicimus: *Pater noster*, et timorem cum subjungimus: *Qui es in cælis*, quasi altissimi solio sedens terrena simul et cælestia moderetur.

Quarto, rationem insinuant, cur Deus possit, et debeat nos audire: nam si pater, debet filiis quod juste postulant, non negare: si in cælis, ut summus recto potest quæcumque voluerit facere.

Quinto, inquit Cyprianus, moneri nos his verbis patri terreno renuntiasse, et patrem coepisse in cælis habere, ac proinde non terrenam nobis, sed cælestem duendam vitam. Jam ad singula verba descendamus.

II. *Pater* dicitur primo, ob creationem, gubernationem, redemptionem: sed hic speciatim ob adoptionem nostram. Secundo, ut filii magnam fiduciam habeant ad petendum, majorem ad impetrandum, Matth. VII. et Luc. XI. Tertio, ut

meminerimus, quod quasi filii Dei agere debeamus, ut quomodo nos placemus nobis de Deo Patre, sic ille placeat sibi de nobis filiis, Cyprianus, ser. de orat. Dom. Deinde, ut deponamus omne id, quod Deo displicet, peccati scilicet affectum, alioqui quomodo eum invocabimus ut patrem? Et hoc initio faciendum: *Scimus enim quia Deus peccatores non exaudit.*

*Noster* dicitur primo, ut oremus non pro nobis tantum, sed et pro aliis: talis enim oratio est utilior, ob charitatem proximi, Cypr. ser. III. ubi sup. quia nobis communis pater, et nos omnes fratres et membra unius Ecclesiæ. Secundo, ne extollantur divites et nobiles contra inopes et ignobiles, Aug. I. II. de ser. Dom. in monte, quia simul dicunt: *Pater noster*, quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres agnoscant.

*Qui es in cælis* dicitur primo, ut orans a terrenis abducat mentem, et supernis habitaculis ac regionibus affigat excelsis, Chrysost. hom. XX. in Matth. operis imperf. quia in cælis magis se manifestat. Secundo, *in cælis*, id est, angelis et sanctis, August. de serm. Dom. in monte, c. IX. Tertio, ut meminerimus nos non naturales, sed adoptivos tantum ejus filios esse, quos proinde castigare et abjicere potes, ac facile abjiciet, si inobedientes sunt: nondum enim in patria sumus, sed adhuc longe ab ea distamus, et peregrini sumus. Denique, ut valido non oris, sed cordis etiam clamore opus esse sciamus, quo audiamur de profundis orantes.

III. *Sanctificetur nomen tuum* dicitur primo, ut sanctificetur in nobis, ut quod in baptismo esse cepimus, in eo perseveremus, Cypr. loc. cit. Secundo, ut glorificetur Dei nomen a nobis per confessionem et bona opera, Greg. Nyss. de orat. Tertio, ut nomen Dei, quod in se sanctum est et gloriosum, habeatur sanctum ab omnibus hominibus, Aug. I. II. de serm. Dom. in monte, c. X.

IV. *Adveniat regnum tuum* dicitur primo, ut regnet in Ecclesia et in mentibus fidelium per gratiam, S. Ambrosius I. V. de sacr. c. IV. Secundo, ut veniat regnum cælestis beatitudinis, idque maturius ut ab hoc exilio liberemur, Tertul. lib. de orat. Tertio, ut veniat regnum Christi venturi ad iudicium. Unde Aug. conc. XX. in Psal. CXVIII. ait: *« Prima tempora Ecclesiæ ante Virginis partum sanctos habuisse, qui desiderarent incarnationis Christi adventum: ista vero tempora, ex quo ascendit in cælum, habere sanctos, qui desiderent ejus manifestationem ad vivos et mortuos judicandos; unde dicimus quotidie: Adveniat regnum tuum, etc. »* Monet interim Dominus ut tam bonæ conscientiamus, qua non formidemus, sed potius de-

sideremus adventum ejus ad iudicium. Vide supra dom. 1. post pascha c. 1. d. n. 1.

V. *Fiat voluntas tua* dicitur primo, ut possimus eam facere, et obedire omnibus Dei mandatis: ad hoc enim gratia Dei necessaria, saltem ut omnia et prout par est servare possimus. Atque hæc est voluntas signi, quæ proponitur nobis in præceptis Dei, nec ab omnibus impletur. Voluntas beneplaciti, qua absolute aliquid fieri vult, semper impletur nec impediri potest. Secundo, ut dirigat omnes actiones nostras secundum suum beneplacitum. Sic orabat Salomon: *Domine, ego sum puer parvulus, nesciens ingressum et egressum meum, da ergo servo tuo cor docile, etc.* III. Reg. III.

*Sicut in cælo et in terra* dicitur et primo, ut fiat inter carnem et spiritum, Aug. I. II. de ser. Dom. in monte, c. XI. et ser. CXXXV. de temp. Secundo, ut per cælum intelligatur Christus, per terram Ecclesia, Aug. ib. Tertio, ut etiam in illis qui adhuc terreni sunt, fiat voluntas Domini, sicut fit in justis, Cypr. in orat. Dom. et August. ubi sup. Quarto, ut sic a nobis fiat quemadmodum fit a sanctis angelis, August. ep. XXI. cap. XI.

VI. *Panem*: primo, corporalem, sed veluti adminiculum spiritualis panis, hoc enim est quod Salomon petit: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria,* Aug. ep. CXXI. ad Probam, c. XII. Secundo, spiritualement et primo eucharistiæ panem; ideo in Græco habetur *supersubstantialem.* Secundo, verbi Dei.

*Nostrum* dicitur primo, quia petimus non nobis tantum, sed etiam aliis per nos communicanda subsidia, Chrysost. in opere imperf. Secundo, panem nostrum justis laboribus acquisitum, non alienum aut injustum, Gregor. Nyss. libr. de orat. Similiter quoad panem spiritualement petimus doctrinam nostram scilicet catholicam, sacramenta nostra, cæremonias nostras, non hæreticorum, infidelium, etc. Cyprianus, de orat. ubi sup. panem vero eucharistiæ, quia panis filiorum ut eo digni fiamus.

*Quotidianum* dicitur primo, ut luxuriosi cibi compescantur, et tantum quis manducet, quantum naturalis ratio exigit, non quantum lascivia carnis impellit. Sic enim in uno convivio tantum expendas, quantum in pluribus sufficere poterat, verbi gratia, hominibus centum moderata viventibus aut tibi ipse centum diebus disciplinate viventi, jam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum. Ita Chrysost. hom. XIV. in opere imperf. Secundo, quia cibo etiam spirituali quotidie indigemus. Unde Ambr. I. IV. de sacr. cap. V. loquens de pane eucharistiæ ait: *« Si quotidianus est panis, cur post annum*